

Q. D. B. V.  
 E POLITICA CHRISTIANA  
 DE EO  
 QVOD HONE-  
 STUM EST,

*Seu*

De Principio AMORIS & ODII  
 IN ILLUSTRIS AUGUSTEO

Præfide

CHRISTIANO WEISIO,  
 Polit. Prof. Publ.

Ad d. XVI. Nov. M DC LXXVII.

*Solenniter disputabit*

JOHANNES AUGUSTUS Fischer /  
 Longo-Saliffanus.

H. L. Q. S.



WEISSENFELSÆ,

---

Literis JOHANNIS BRÜHLII, Augustei Typogr.

COVOD HONOR  
DE BO

CHRISTIANUS  
MDCCLXXVII





*PER-ILLUSTRI DOMINO,*

**DNO. ULRICO,**  
**COMITI de KINZKY & TETTAU,**

Serenissimi ac Potentissimi Electoris Sa-  
xoniae, nec non Reverendissimi, Serenissimi Po-  
stulati Administratoris Primatus & Archi-Episco-  
patus Magdeburgensis, Saxoniae, Juliae, Cliviae &  
Montium Ducis, &c. respectivè a Consiliis secreti-  
oribus & Militiae, Chiliarchae & Camerario præ-  
cipuo, Capitaneo Præfecturarum Lon-  
go-Salzensis & Weissenfeen-  
sis Supremo  
&c.

**Domino meo Gratosissimo.**

## Domine Gratiofissime.

**S**atis est nominare mirificam in literatos propensionem, sive insignem benignitatem, quam Perillustris V<sup>a</sup>. Excell<sup>a</sup>. Parenti meo subinde patitur affulgere; si quis devota hujus inscriptionis causam a me velit expiscari. Utrumq; enim me reddet felicissimum, sive ista mihi adspiret aura, quae Parentem latificat, sive prolixior illa, quae solandis ac provehendis studiis sese consecravit.

Sanè arduum est, DOMINE, Honestatis fundamenta rimari, quibus explorandis nobilissima nostri Seculi ingenia fatigantur. At veniam dabit proficiendi voluntas, quae, dum ad abstrusa propendet, in ipsis primitiis, sine pudore vacillat, sine damno errat, ipsamq; ignorantiam, spe ulterioris industriae, reddit commendabilem.

Quamobrem, quod Per Illustri V<sup>a</sup>. Excell<sup>e</sup>. probatum sit atq; acceptum, offero, quicquid hic est speciminis, DEum precatus, velit eum undiq; indulgere successum, ac omnem animi, corporis, vitae & fortunarum immittere florem, ut, quaecunq; servitia sum praestiturus (praestabo autem devota semper observantia) serenum semper ac benignum accipientis vultum inveniant.

Per Ill. V<sup>a</sup>.

Excell<sup>e</sup>.

devotè-observantissimus

Servus

Johannes Augustus Fischer.

C. B. D.

I.

**P**olitica tribus Partibus absolvi-  
tur. Aut enim sollicita est de Summo Bo-  
no seu Ultimo Fine, quorsum omnia di-  
rigi debeant; aut inquit in Subjectum,  
cui homini vel cui hominum Societati  
introducendum sit hoc Bonum; aut  
tandem rimatur Media, quorum auxilio Finis iste  
Subjecto acquiratur.

II. Et ista quidem Media complectuntur LEGES  
& CONSILIA, vel ut alii loquuntur, *Doctrinam* HO-  
NESTATIS & UTILITATIS. Sed seposita nunc  
Utilitate, cujus specimen vidit Idea Statisticae, non  
ita pridem vulgata, paulo propius accedamus ad  
Honestatem.

III. Quia tamen in ipso schediafmatis frontispicio  
id nos tentaturos e POLITICA CHRISTIANA  
promissum est, ne quis in termino contradictionem  
latere opinetur, sciendum, Media, quibus acquiratur  
Summum Bonum, vel innotescere naturæ rationali  
adeoque omnibus hominibus, vel innotescere sal-  
tem iis, quorum intellectus gratiosa revelatione ad  
sublimiorem notitiam elevatus est.

IV. Unde non absurdè distingvitur inter Politi-  
cam

A

cam *Gentilem seu Humanam, & Politicam Christianam.* Quæ quidem distinctio non Oppositorum est, sed subalternorum, vel ut Grammaticè loquamur, Positivi & Superlativi.

V. Sanè, quod Politicam Humanam attinet, ea Honestatem judicat *a priori & a posteriori.* A priori causam ostendit, cur actio sit conveniens naturæ rationali, seu dictamini Rationis; a posteriori, varias allegat Gentes, quarum consensu actio fuerit comprobata, claro indicio, nisi fuisset honesta, in eandem vix consensuros tot homines ratione præditos.

VI. Sed in his judiciis utrobique maxima est difficultas. Si enim spectetur gentium consensus, tanta est naturæ corruptio, ac malæ consuetudinis efficacia, ut nullum fere existat vitium, cui ab aliqua Gente non fuerit aliquando indultum privilegium.

VII. Neque etiam ita clarum ubique est Rationis dictamen a priori, quo minus a sensitivo appetitu Intellectus in transversum raptus, aliquid admittat, cuius in Honestate quidem locum agnoscere debebat nullum.

VIII. Mirum itaque non est, si Gentiles olim in tot abierint sectas, & nunc Christiani etiam, Gentilium vestigiis innixi, similem sententiarum induerint diversitatem: Quibus facile afferri poterat remedium, si e tenebris ad lucem, h. e. ex obscuro dictamine ad clarissimam revelationem deflexissent oculos.

IX. Neque tam invida est Theologia, ut, quæcunque Principia tractavit, ut ita loquar, in actu signato, nolit ab aliis disciplinis usurpari in actu exercito: quin potius ea ipsa Pietatem judicat *ad omnia utilem, ac habere Promissionem hujus etiam vite:* quo nihil dicitur ali-

ud

ud, quam, Theologiam, Pietatis promam condam,  
Politicae quoque; utilem, ac facere ad summam felicita-  
tem, qualem intendit Politica.

X. Equidem obstant Resp. Gentilium, cum qui-  
bus hodie latissima Christianorum sunt commercia:  
nam istos principia Theologica non admissuros, ad-  
eoque; ad communia rationis axiomata relegandos,  
quivis intelligit.

XI. Sed ista objectio primum non evincit, negli-  
gendam inter Christianos Politicos esse Theologi-  
am: eo magis, quod diffusa per Europam Christia-  
norum Resp. multos habet Politicos, qui nunquam  
ad Gentilium tractatus ablegantur: Quorum profe-  
cto major & firmior futura est Prudentia, si non mo-  
do se Politicos, sed Christianos etiam in actionibus  
Reipublicae meminerint.

XII. Largiamur etiam conversari Germanos  
cum Turcis & Persis, reliquos Europae populos  
cum Africanis, ac utriusque; Indiae incolis, quibus non  
modo in tractatibus commerciorum ad oculum de-  
monstranda honestas ac turpitudine est, sed quos eti-  
am ope dictaminis innati, ad Religionem Christia-  
nam manuduci posse, hactenus probavit experien-  
tia: nam inde sequitur, Philosophiam suo modo ne-  
cessariam, ac veluti instrumentum Theologiae non  
negligendam: id vero non evincitur, separanda es-  
se Principia, quoties inter Christianos quaeritur ho-  
nestas, sed potius conjungenda, ut e clarioribus re-  
gulis singuli fiant doctiores.

XIII. Certe enim optima docendi methodus a cla-  
rioribus procedit ad obscuriora: &, si nos e lumine  
revelato prius cognoverimus, quid in verbo DEI ha-

beatur honestum, tunc extra omnem erroris metum  
licebit excutere dictamen Rationis, quæ nunquam  
admiscere poterit vel micam suæ corruptionis, quin  
præcedentis notitiæ perfectio eandem vel corrigat,  
vel abjiciat.

XIV. Neq; timendum est, ne Theologiæ ac Phi-  
losophiæ, vel (ut nunc disputamus) Politicæ fiat con-  
fusio. Sicut enim Theologiæ finis est, in homine  
producere fidem salvificam & operantem, quo me-  
dio in hac vita habeat optimam conscientiam, in illa  
vita summam beatitudinem; Ita vicissim Politicæ fi-  
nis est in Rep. constituere & Honestatem & Suffici-  
entiam, ipsamq; Sufficientiam non nisi cum Hone-  
state conjunctam. Unde sequitur diversa adhuc esse  
objecta, videlicet ibi homo quivis in Individuo, hic  
homo hominibus seu Reip. sociatus; imo diversos fi-  
nes, ibi sufficientia æterna, hic temporalis.

XV. De cætero, si media utrobq; concurrunt, par-  
um refert; cum unius rei interdum variæ sint utili-  
tates. Imo Politica naturalis alioqvi præsupponit  
Principia non sua, sed quæ dicitur intelligentia; cur  
igitur ipsa non maneat salva, si Principia præsuppo-  
net, non sua, sed quæ dicitur revelatio. Adde quod  
nemo apud nos unquam agit ut homo, nisi simul a-  
gere jubeatur ut Christianus: ut quæ semper in pra-  
xi sunt conjuncta, in disciplina non respuant conve-  
nientiam.

XVI. Sed hæc obiter. Ut igitur redeamus ad sco-  
pum: Politica Christiana mihi est, quæ primo inqvi-  
rit, quibus mediis expressè DEUS voluerit in Repub.  
honestatem institui; deinde cogitat, quomodo vo-  
luntas hæc divina vel citra claram & externam  
pro-



promulgationem naturæ rationali fuerit patefacta.

XVII. Quod si jam scire velimus, quid sit Honestum, duas ejusdem Classes deprehendimus. Aut enim *DECORUM* saltem continet, aut *DECORUM* simul & *NECESSARIUM* concludit.

XVIII. Decorum est, *cum quis facit suum officium*. Unde factum, ut Honestatis doctrina dicta Ciceroni, Ambrosio & aliis fuerit de officiis.

XIX. *NECESSARIUM* est *vel internè vel externè*. Interna necessitas aliàs dici consuevit immutabilitas: per nullam enim potentiam fieri potest, ut vel turpe evadat honestum, vel ex adverso honestum turpe.

XX. Externa necessitas, quæ Legi accedit a Legislatore, est obligatio, ut, quicumq; Legi subjicitur, necessario ad ejus observantiam sit obligatus.

XXI. Necessitati opponitur indifferens, quod a Lege non expressum est, adeoq; creditur a Legislatore fuisse permissum. Id tamen indifferens sæpe refertur ad Decorum. Si enim non est Honestum positivè, ut certam inferat bonitatem, tale interim est negativè, ut nullam arguat malitiam. Et in hac corruptione bonus interdum habetur, qui malus non est.

XXII. Cæterum, quæ jam diximus, declarant distinctionem *Juris stricti & laxi*: Jus enim strictum est, quod decorem fovet ac necessitatem, e. g. *time DEUM, honora Regem &c.* Jus laxum, quod Decorum ostendit, necessitatem non infert. Sic in Regno decorum videtur, si regnet masculus & adultus. Interim necessarium non est, quo minus regnare queat fœmina, vel adolescens 14. annorum.

XXIII. Et verò Decorum hoc & Necessarium e lumine revelato haud difficulter percipitur. Deco-

rum enim svadetur his rationibus: Deus est Ens pulcher-  
rimum & perfectissimum, ergo decet eum potius sequi, quam Entia  
minus pulchra & perfecta. Creatus es a DEo, inde officium tuum est,  
omnia referre ad Creatorem. Minister es supremi Regis, ergo of-  
ficium est, nunquam discedere ab ipsius voluntate. Quicquid  
possides, a Deo possides, ergo decet gratum ipsi reddere animum, nec  
esse potest quicquam turpius, quam loco gratitudinis, benefactori  
exsolvere contemptum. Quinimo, Redemptus es, non decet a-  
mare peccata, de quorum redemptione gaudes; Sanctificatus es, non  
decet sanctum pectoris hospitem vitâ minus sanctâ expellere. Pro-  
misisti in baptismo vitæ puritatem, non decet violare promissum  
&c. Sic enim non modo quæ Legis sunt, sed etiam,  
quæ ex Evangelio veniunt, pulchra connexionem se-  
se comitantur.

XXIV. Necessarium .h. e obligationem necessa-  
riam æque firma statuunt argumenta. DEus est omni-  
scius, ergo agnoscet turpitudinem: DEus est omnipotens, ergo poterit  
animadvertere in delinquentes: DEus est veracissimus, ergo non  
differet pœnam a peremptis comminationibus dictatam, quæ quidem  
futura est æterna.

XXV. Quod si nunc quærat aliquis, quæ autem  
sint illæ Honestatis Leges, in quibus decor iste neces-  
sarius contineatur? Licet repetere possimus Decalo-  
gum, brevi tamen complexu DEus ipse hoc postu-  
lavit: *AMA DEUM, AMA PROXIMUM*, seu ut  
clarius exprimam, *Nihil tui causa ama præter DEum, vel  
quicquid amas, ama propter DEum: Proximum vero ama tan-  
quam te ipsum.*

XXVI. Ex his omnia fluunt, quæ sunt honesta.  
Neque enim, qui DEum amat, poterit contemnere  
Magistratus DEi vicarios, aut nocere Civitati, cujus  
quot sunt Cives, tot sunt Proximi, quos amare iussi  
sumus

fumus juxta nos ipsos; nemo de adulterio, nemo de  
cædib<sup>9</sup>, nemo de falsis testimoniis cogitaverit; siqui-  
dem quod nemo fieri velit sibi, id svasu amoris non  
attrahet illi, quem alterum se est habiturus.

XXVII. Hæc ubi fuerint animo inculcata, fir-  
moq; pietatis saxo superstructa, quæri ulterius pot-  
est, quomodo & decorum & necessarium hoc natu-  
ræ rationali fuerit instillatum, & quomodo homi-  
nem revelationis expertem liceat in rebus honestis  
confirmare, in turpibus redarguere?

XXIIX. Sanè tam clarè hic affulgere necessitatis  
regulam, ac in revelatione, nemo affirmaverit. In-  
terim e duobus indicis multa colliguntur. Nimi-  
rum innatus homini *PUDOR* & *TIMOR*. Pudor  
sequitur, si quid decori fuerit omissum aut commissum,  
quod dedecet; Timor sequitur, si post omissionem  
vel commissionem expectetur pœna. Jam verò ne-  
mo tam est Barbarus, quem non pudeat peccasse, vel  
qui post delicta malam non experiatur conscientia-  
am. Ubi igitur est conclusio: *Expectabis pœnam; ibi*  
*fuerunt præmissæ; Quicumque talia fecerit, expectabit pœ-*  
*nam. &c.*

XXIIX. Decori autē ratio naturaliter mihi quidem  
videtur elici posse e *PHILAVTIA*, quam cuivis ita  
scimus coñatam, ut nemo sit, qui sibi nolit esse quam  
optimè. Et hæc Philavtia cum tendat maximè ad  
utilitatem & jucunditatem, sitqve certum homini  
principium, *quicquid verè est utile & jucundum, id non decet*  
*negligere*: Legislator quoque usus his argumentis,  
omnem honestatem comitante aliqua vel utilitate  
vel jucunditate, non secus ac firmissimis persuasioni-  
bus, voluit esse commendatiorem. Sic ut Parentes  
curent

curent Liberos, allicit jucunditas; quod Liberi sequuntur Parentes, necessaria utilitas.

XXX. Inde duo sunt Principia per naturam nota: alterum fundatum in utilitate, *Bonum est, quod mihi benefacit*, alterum fundatum in jucunditate, *Bonum est, quod similem mecum habet naturam*.

XXXI. Ex hoc fonte derivantur Amoris præcepta: *Ama eum, unde accipis beneficia. Ama eum, qui tibi similis est*. Et valet porro comparatio: *Quo majora aliquis beneficia exhibet, eo majori amore dignus est. Quo magis alter ad nostram similitudinem accedit, eo magis amandus est*.

XXXII. Si jam quæras, cur DEUS amandus sit? facilis est responsio, quia maxima nobis confert beneficia, tum per conservationem, tum per sui fruitionem, quam in tranquilla conscientia concedi, a Platonice quoque agnitum fuit.

XXXIII. Si porro quæras, cur post DEUM amanda maximè sit Resp. & in Rep. Princeps? Itidem respondetur, quia inter humana beneficia nullum accedit ad utilitatem e Rep. captam. Hæc enim dum nos defendit, eo ipso procurat, ut beneficia ab aliis percipere, eaq; vicissim aliis reddere queamus. Summove Remp. nulla erunt parentum, fratrum, vicinorum beneficia, vel si fuerint aliqua, non erunt certa & diuturna.

XXXIV. Eadem est ratio Parentum, Patronorum aliorumque, qui, quo magis nobis benefecerunt, eo majora amoris reciproci officia a nobis exigunt.

XXXV. Porro si quæras, cur amandus sit Proximus? nullo quidem beneficii genere cognitus, nisi aliquando sperari aliqua possint: respondebo, quia nobis

nobis est similis. Quæ quidem similitudo dupliciter cognoscitur. Primo enim ita potest concludi: *Quem DEUS æquè amat & beneficiis ornat ac me ipsum, is mihi est similis.* Alterum argumentum est: *Qui eandem habet concupiscentiam & eosdem affectus, is mihi est similis:* Et certe sicut ego ab omnibus cupio amari, & beneficiis cumulari; ita cogitare debeo, idem cupere proximum meum. Unde cognoscitur axioma ipsi Christo commendatissimum: *Quod tibi vis fieri, alteri feceris: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

XXXVI. His autem positis clarum est, cur Christianus diligi debeat præ Ethnico, Frater & Consanguineus præ Extraneo: Major enim vel minor intercedit similitudo.

XXXVII. Sæpe nominavi AMOREM, qui tamen esse non debet saltem *concupiscentiæ*, ut DEUM & Proximum amemus propter nos; sed *amicitiæ*, ut illis quam gratissima ac jucundissima officia retribuamus. Si quidem decorum est *gaudere eos de nobis, de quibus nos toties sumus gavisi.*

XXXVIII. Indubitatum nunc est, quis debeat amari. Jam offertur quæstio, quo amoris modo sint illi prosequendi? Et de Proximo quidem res haud est difficilis. Sicut enim ego volo amari ab aliis, eadem amoris mensura obviam eundem aliis. Ego autem ita volo amari, ut a Proximo accipiam OFFICIA CHARITATIS & DEBITA JUSTITIÆ. Utrumque igitur a me itidem debetur Proximo.

XXXIX. Debita justitiæ sunt, quæ possunt exigi in judicio: velut obedientia filiorum erga Parentes, ac educatio Parentum erga liberos, amor Conjugis in Conjugem, observantia servi in Dominum, in-

B

tur-

turbata possessio rerum siue originariè siue derivati-  
vè acqvifitarum, obligatio siue re siue dicto contra-  
cta, & quæ tum apud Juris naturalis scriptores, tum  
apud Juris Civilis interpretes expediuntur latius.

XL. Officia Charitatis sunt, quæ in foro externo  
habent libertatem contradictionis & contrarietatis,  
ita ut coram Judice non possint exigì; licet in con-  
scientia talem habeant necessitatem, quam in extre-  
mo Judicio exaggeraturus est universalis Judex.  
Pertinent huc cõmiseratio in calamitate, illiq; ad-  
juncta juvandi promptitudo; congratulatio in feli-  
citate, ejusq; servandæ studium.

XLI. Ideo autem in foro externo talia non pos-  
sunt exigì, quoniam agentis libertatem præsuppo-  
nunt. Nam, si mendicus me accuset de omiffa libe-  
ralitate, ego vero cogar a Judice, liberalitas non am-  
plius futura est liberalitas, sed justitia particularis.

XLII. Interim non abest, ut dixi, judicium con-  
scientiæ, siquidem Ethnici ideo alteri talia officia ex-  
hibent, quod ipsi se talibus delectari cognoscunt;   
Christiani ulterius sciunt, quicquid præstetur proxi-  
mo, id a DEO accipi, tanquam sibi præstitum, lætan-  
te conscientia, tam obvias adesse occasiones, quibus  
liceat inservire DEO.

XLIII. Amorem DEI, quod concernit, is potissi-  
mum quidem absolvi videtur in ejus cultu ac vene-  
ratione, ut eum agnoscamus pro autore nostro ac  
conservatore, preces ad eum fundamus ipsiq; decen-  
tem honoris cultum exhibeamus. Attamen ut Sa-  
muel ad Saulum, *I. Sam. XV, 22.* fatetur, *obedientiam  
esse meliorem victimis; ita statuendum, optimum DEI cultum  
esse, si voluntatem ejus faciamus.*

XLIV.

XLIV. Voluntas vero DEi sic observatur, si in omnibus rebus eum respiciamus finem, quem ex ipsa rerum natura judicamus a DEo fuisse constitutum. e.g. Unde cognoscitur ebrietatem aut scortationem displicere DEo? Non nisi ex fine. Nimirum bibendi desiderium DEus hominibus ideo indidit, ut humidum radicale habeat nutrimentum, calidum nativum sentiat refrigerationem; Vini verò inebriandi vis ideo data est, ut, qui tristes sunt, modicè bibendo calamitatis obliviscantur. v. *Prov. XXXI, 6.7.* Tandem propensio in venerem ideo innata est, ut eo promptius procedat generis humani propagatio. Ex quibus patet eum peccare, qui alium potius finem in his rebus intendat. Et idem dici velim de cæteris affectibus, qui per naturam non frustra, sed ad certum finem sunt dati.

XLV. Et hic respectus ad finem ubiq; tenendus est, ut inde solvere queamus intricatum alioqvi Paradoxon: *Posse aliquem peccare, qui istud velit & faciat, quod DEus vult.* Nam do exemplum: Maritus, qui vetulam habet uxorem, vult eam mori; quod, si moriatur, apparet, quod DEus idem voluerit: interim Maritus peccat, quia uxoris mortem vult alio fine, quam DEus; nimirum ut hæreditatem occupare & Puellam ducere possit. Sic qui imprægnavit puellam, generavit hominem: Ast DEi voluntas est, ut generentur homines. Interim scortator iste alium habuit finem. Nam puellam vitiavit libidinis causa, ac saltem per accidens, seu ut Seneca *lib. 6. de benef. c. 23.* loquitur, per negligentiam generavit.

XLVI. Sic si quæras, cur bonus civis teneatur Remp. defendere, cum jactura non modò Bonorum,

rum, sed ipsius etiam Vitæ? R. Id cognosci itidem ex fine. Homo enim quivivis in se deprehendit inclinationem ad Societatem: ut paucissimi sint, qui naturæ vitio ament solitudinem. Inde concluditur DEi finem in condendis hominibus fuisse, ut fierent Societates, & ex iisdem enasceretur Societas perfectissima, quæ dicitur Resp., nam in ejusmodi societate, ultimus finis h. e. DEi gloria videbatur optimè posse impetrari. Ex quo sequitur Remp. esse potius uno vel altero homine, imo homines esse propter Remp. Quin ulterius colligitur, si emergat casus, ut vel pereat ipsa Respubl. vel pereant aliqui cives, e duobus malis minus est eligendum.

XLVII. Objici h. l. potest, falsum esse, quod supra diximus, amorem tum DEi, tum Proximi fluere ex *Φιλανθία*, siquidem qui alterius causa mortem subire jubetur, is se non amat, sed odio prosequitur. Et vero Ethnici difficulter resolvere poterant hanc quæstionem, ita ut plerumq; ad inanem posteritatis famam, nominisq; immortalitatem respicerent, cujus tamen sensum mortuus haberet nullum.

XLIIII. Sed primo sciendum, neminem primariâ intentione ita pugnare, ut velit mori, sed potius ut velit defendere Patriam, cum qua defensione, non necessariò, sed saltem per accidens, conjuncta est mors. Ergo in prælio nemo odit se ipsum, sed amat alterum.

XLIX. Largiamur tamen, non concedamus, esse in maximis periculis quasi ex destinato moriendum, ita potest dici. Voluntas DEi est facienda; Ast DEus est sumè Bonus, ita, ut si quid acerbi a nobis exigat, id apparenter potius, quam verè sit malum.

Nam



Nam si nullus est Pater, qui aliquid injungat filio suo, quod ipsi sit noxium, multò magis ipse DEUS, qui communis noster Pater est, nihil a nobis requireret, unde emergat damnum.

L. Jam si DEUS requirit in casu necessitatis, moriendum esse pro Republ. ut e præcedentibus videtur colligi posse; mors illa apparenter erit mala, verè autem non nisi bona. Ipsa enim ratio dicitur, etiam post mortem esse statum, in quo benè merentibus conferantur præmia. Quod ita probo: *Si Ethnicus, qui in casu Necessitatis pro Rep. noluit mori, malam habet conscientiam h. e. judicem timet invisibilem, sequitur vi contrariorum, quod, qui talia fecerit, habeat bonam conscientiam, h. e. invisibilem aliquam speret, sive remunerationem, sive a pœnis absolutionem.*

LI. Exinde tamen non colligi debet, Ethnicos, qui habuerint bonam conscientiam, fuisse salvatos. Certe enim ob has virtutes damnati non fuissent, nisi adhærens infidelitas & ignorantia Christi Redemptoris actiones eorum optimas convertisset in peccata mortalia, siquidem, quod ex fide non est, peccatum est, h. e. Opera, quæ tanquam fructus e radice fidei non propullulant, bona non sunt, neq; ex toto corde, ex toto animo, & ex totis viribus ita proficiuntur, ut ab omni malitia videantur posse absolvi, vel optimam conscientiam Deoq; conjunctissimam post se trahere.

LII. Dicitur est de Principio amoris, jam videndum, an aliquem debeamus odisse. Certè enim, si de contrariis dicenda sunt contraria, ex supra dictis sequitur, omnes odio esse prosequendos, qui nobis malefaciant, aut naturæ nostræ sunt dissimiles. Interim Christianis obstet ipsa Oratio Dominica ubi

profitemur, nos velle remittere debita debitoribus nostris.

LIII. Sed distinctius procedendum est. Aliquæ enim læsiones tangunt DEum, aliquæ nos ipsos. Qui DEum lædit, odium meretur. Sic enim nemo honestè amaverit Satanam. Clarum etiam est Davidis effatum *Ps. CXXXIX, 21. Odi Domine, qui Te oderunt.*

LIV. At qui nos læserunt, etsi odium videntur promeruisse, triplici tamen ex causa, quarum prior Ethnicis, posteriores Christianis præcipuè notæ sunt, judicantur veniâ digni.

LV. Ethnici judicabant ex similitudine naturæ & affectuum hoc modo: *Sicut Adversarius nos læsit, ita ob adhaerentem imbecillitatem nos alium poteramus lædere: quem admodum autem nos cuperemus reconciliari inimico, qui a nobis esset læsus; sic credendum est, idem velle alterum, qui nos læsit.*

LVI. Christiani respiciunt similitudinem naturæ, quæ resultat ex amore DEI. Nimirum sic cogitant: *Læsus es ab alio; sed lædens amatur a DEo* (nam omnes homines amantur a Creatore, non quatenus lædunt alterum & peccant, sed quatenus sunt creaturæ) *Ergo si amas DEum, cave, ne lædas ipsius amicum.*

LVII. Profundius hoc est argumentum, quod ex sola revelatione innotescit: *Ego DEum singulis momentis violo, eorumq; peccatorum continuam cupio remissionem: Cur itaq; quod mihi exhibere debet DEus, ego nolim exhibere proximo, cuius offensiones multum sunt minores, ita, ut si DEus a me exigere possit decem millia pondo, proximus debeat vix ac ne vix quidem centum denarios.*

LIIX. Quod hic docetur, ab Anabaptistis eorumq; Aseclis in pessimam partem arripitur, quasi omnia bella

bella

bella & supplicia, adeoq; ipsi Magistratus, qui jus bel-  
landi & puniendi exercent, sint a Diabolo. Quamob-  
rem id quidem verum est, remittenda esse delicta,  
nostro proximo. Interim sicut nulla regula est, quæ  
non habeat exceptionem, ita circa hanc quæstionem  
notandæ sunt limitationes. Prohibitæ enim non sunt  
pœnæ & bella, quæ nihil odii secum ferunt, quod a-  
lio amoris respectu non sit temperatum.

LIX. Sanè nec Pœnæ, nec Bella simpliciter a Jure  
Naturæ instituuntur, quoniam si omnes secundum  
eam normam viverent, quam natura præscribit, ne-  
mo pœnâ esset dignus. Interim ponuntur conditio-  
naliter, si videlicet sint mali, qui Bonis inferant mo-  
lestiam, istos per vim esse coërcendos. Et diriguntur  
quidem Pœnæ adversus eos, qui nobis sunt subjecti,  
Bella vero iis moventur, qui nobis pares sunt aut  
ad minimum non subjecti. Utrinq; inqviremus in  
Honestatem.

LX. Pœnæ ob triplicem respectum justæ & ho-  
nestæ sunt: nimirum *aut respicitur persona delinqvens, aut  
persona læsa, aut universa Resp.* Si respicias personam  
delinquentem, pœnæ perpeffio eatenus prodest, ut  
imposterum cautius mercari discat, aut si melioratio  
vix potest sperari, moriendo corrigatur, qui vivendo  
factus fuisset indies deterior.

LXI. Persona læsa hanc ex pœna lædentis capit  
utilitatem, ne imposterum ejusmodi injurias time-  
re cogatur, quoniam aut e medio tollitur inimicus,  
aut franguntur ejus vires, aut ipse mali subsequenti  
formidine vivere cogitur placidius.

LXII Ad universam Remp. utilitas pœnarum re-  
dundat, quoniam alioquin transmissis impunè deli-  
ctis

Etis allicerentur multi alii ad similem peccandi licentiam, cum insigni civitatis detrimento.

LXIII. Ex his ita possumus argumentari: *Sine quo Reipubl. quies & honestas obtineri nequit, illud est honestum.* (nam supra dictum, DEi hanc esse voluntatem, ut servetur Respubl. neq; melius sese expediet amor proximi, quam si una actione beneficium detur singulis) jam facilis est Subsumptio: *Sine pœnis nec quietem nec honestatem posse obtineri, & adeo sequitur pœnas esse justas & honestas.*

LXIV. Imo habemus ad stipulantem Apostolum ad Rom. XIII, 4. cujus gravissimum hoc pronuntiatum est: *Magistratus non temere gladium gerit: nam DEi Minister est. Ultor ad iram ei, qui, quod malum est, fecerit.*

LXV. Pergimus nunc ad Bellorum honestatem, de quorum divisionibus primo agendum est, Bellum esse vel *Offensivum* vel *Defensivum*, h. e. vel *inferentis* vel *propulsantis*, e Politica notum est. Alia Distinctio est Belli in *Publicum* & *Privatum*. Publicum geritur inter duos Principes vel Respubl. quæ utrinq; Majestatem habent. Privatum, quod inter Personas privatas suscipitur, est vel *proprie tale*, ut Duellum; vel *improprie*, ut actio coram iudice, quam Latini *litem*, Germani notanter vocant, *den Krieg Rechtens*.

LXVI. De publicis Bellis siue ea sint *Defensiva* siue *Offensiva*, quin honesta possint esse, nullum est dubium. *Defensiva* enim sic probantur: *Si DEus instituit Respubl. istæ vero sine Magistratibus servari nequeunt, quibus publicæ tranquillitatis injuncta cura; & tamen in casu necessitatis absq; Bello tranquillitas obtineri vix potest: sequitur, DEum, qui velit finem, hoc est, Reipubl. quietem, velle etiam media ad finem ducentia, h. e. Bellum Defensivum. Offensivum,*

vum,

vum, etsi rationibus probari potest; tamen sufficiat, DEum belli offensivi leges præscripsisse, *Deuteron. XX.* quod Caput imprimis legi meretur.

LXVII. Privata bella improprie talia, ubi videlicet cum altero litigamus coram Judice, non possunt esse inhonesta: alioquin enim iudices frustra essent constituti.

LXIIIX. Ipsa Honestas sic elicitur: Nemo tenetur nimiam alterius injuriam perferre, quin habeat jus propulsandi: Jam propulsatio ista, quam diu potest fieri coram Judice, illicita tamdiu est defensio privata. Sed interdum cessant Judicia, vel *momentaneè*. e. g. Si quis noctu vel in via deserta invadatur a furibus & latronibus, tam prolixum defensionis spatium non habet, ut implorare queat Judicis officium; vel *continueè*. e. g. Si quis delatus in ejusmodi insulam, quæ nullum habeat Magistratum & consequenter nullum Judicem, invadatur autem ab aliquo, neminem certè habet, quem imploret. Ac proinde in his casibus non inhonesta fuerit propria defensio.

LXIX. Dubium amplius non est, Bella aliquando esse honesta. Sed nova emergit quæstio, quæ Bella sint talia, & quatenus eorum licentia possit extendi. Quæ cognitio, cum dependeat a notitia injuriarum, videndum de ipsis erit aliquanto diligentius.

LXX. Sanè quid vox injuriæ denotet, pauci nesciunt; ipsa definitio talis est: *Injuria est læsio, quam volens & sciens invito contra jus infert.* Distinguitur ab injusto, nam injustum committi etiam potest a nesciente; Injuria proprie dicta a sciente. Sed

C

vide-

videamus definitionem per omnes ejusdem partes.

LXXI. LÆSIO denotat oblationem rei cujusvis malæ & ingratae, & non modo consistit in positiva illatione alicujus mali, sed etiam in negatione alicujus boni, quod meum est. e. g. Æquè lædit, qui pecuniam debitam non solvit, quam qui pecuniam eripit. Et hoc respectu injuriæ sunt vel negativæ vel positivæ.

LXXII. VOLENTIS vero & SCIENTIS læsio est: inde cum quis ex ignorantia & præter voluntatem aliquid admisit, quod injustum est, materialiter potius, quam formaliter injuriam intulisse dicitur: Planè si rem, quam nesciens admisit, ipse postmodum approbet, injuria emergit formalis. Quia voluntatis non quidem adfuit actus, tamen habitus seu mala proclivitas.

LXXIII. Inde etiam clarum est bestias alicui inferre damnum, nemini facere injuriam, planeque notanda sunt verba Imperatoris *Instit. l. 4. tit. Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. Pauperies, inquit, est damnum sine injuria facientis datum. Nec enim potest animal injuriam fecisse dici, quod sensu caret.* Et hoc in sensu injuria vel est proprie vel improprie talis. Quæ alioquin de ignorantia vincibili & invincibili apud Ethicos, de dolo & culpa apud Juristas disputantur, hic prolixè repeti non est opus.

LXXIV. Porro læsionem diximus inferri INVITO: nam volenti non fit injuria, subintellige proprie talis, siquidem volens etiam pati potest rem injustam: Sed quoniam eo volente contingit, non potest dicere, affectum se fuisse injuria.

LXXV.

LXXV. Tandem læsio est **CONTRA JUS** h. e. dum negatur alteri, quod per jus ipsi tribuitur. Et hinc quotuplex est jus, ex tot fontibus cognosci sunt injuriæ. Sic alia injuria formaliter deducitur ex Jure naturæ, alia ex Jure civili.

LXXVI. Qualescunque autem sint injuriæ, eæ distinguuntur in *factas & non factas*. Non factæ sunt illæ, quæ, licet nondum illatæ sint, metuuntur tamen. e. g. Latro, qui me invadit, nondum vitam aut bona mihi eripuit, & tamen ita propulsari potest, ac si jam facta esset injuria.

LXXVII. Injuria, quæ facta jam est, aut tangit bona aut Personam: Prior apud Jctos vocatur *damnum, quod per injuriam datur*; Posterior apud eosdem speciali nomine vocatur *injuria*. Unde etiam actio injuriarum est adversus eum, qui personæ corpus aut famam violavit.

LXXVIII. Proinde, si quis in hac materia plenam desideret informationem, necesse est, ut primo cognoscat, quibus Legibus judicetur injuria; postmodum quomodo recta ratio istas injurias velit puniri; tandem quomodo, quod ob defectum Jurisdictionis puniri nequit, vindicari possit per Bellum.

LXXIX. Sed quemadmodum ea altioris sunt indaginis, ita unius Dissertationis complexu nequeunt definiri. Satis igitur est prima Honestatis principia tetigisse, unde per facilem consequentiam reliqua possint deduci. Faxit DEUS, ut nostra corruptio nunquam eo destituatur lumine, quod nos primæ integritatis admonitos, indies reddat meliores; Sitque nostra Respubl. si non ab

soluté optima, certè tamen comparare cum aliis,  
quantum humana fraglitas patitur, bona & for-  
tunata. Sic decebit habere PRINCIPEM AU-  
GUSTUM, sic gaudebit sub AUGUSTO florere  
AUGUSTEUM, sic ex AUGUSTEO augebitur  
Patriæ incrementum.

## Corollarium.

**A**Mbrofius *Offic. Lib. II. cap. 6.* afferit,  
*inter honestum ac decorum esse quandam di-*  
*stinctionem, quæ magis intelligi, quam explicari*  
*possit.* Idemque *Lib. I. cap. 45.* jam compa-  
raverat *Honestatem valetudini, Decorum venu-*  
*stati,* quæ nunquam esse possunt, nisi jun-  
ctim existant. Sed forte utriusq; termini de-  
claratio peti poterit e thesi *XVII. seqq.* Plus  
enim infert Honestas, quam Decorum, ibi  
juncta intelligitur necessitas, hic sæpe res  
adest indifferens.

